

# SODALITATIS LATINAE MEDIOLANENSIS

## DECIMA ATQUE UNDECIMA SCHOLA

### **Postridie Nonas Martias a. MMXIII**

Joannes Carolus Rossi genus orationis, quam Benedictus XVI adhibuit ad Cardinales, se munere abdicaturum nuntians, explanat.

### **PONTIFICIS ALLOCUTIO DIE XI FEBR. MENS. A. MMXIII IN CONSISTORIO HABITA**

*Fratres carissimi,*

*Non solum propter tres canonizationes*

*Conscientia mea iterum atque iterum coram Deo explorata, ad cognitionem certam perveni vires meas ingravescente aetate non iam aptas esse ad munus Petrinum aequè administrandum.*

*Bene conscius sum hoc munus secundum suam essentiam spiritualem non solum agendo et loquendo exsequi debere, sed non minus patiendo et orando. Attamen in mundo nostri temporis, rapidis mutationibus subiecto et quaestionibus magni ponderis pro vita fidei perturbato, ad navem Sancti Petri gubernandam et ad annuntiandum Evangelium etiam vigor quidam corporis et animae necessarius est, qui ultimis mensibus in me modo tali minuitur, ut incapacitatem meam ad ministerium mihi commissum bene administrandum agnoscere debeam.*

*Quapropter, bene conscius ponderis huius actus, plena libertate declaro me ministerio Episcopi Romae, Successoris Sancti Petri, mihi per manus Cardinalium die 19 aprilis MMV commissum, renuntiare*

*Fratres carissimi, ex toto corde gratias ago vobis pro omni amore et labore, quo mecum pondus ministerii mei portastis et veniam peto pro omnibus defectibus meis. Nunc autem Sanctam Dei Ecclesiam curae Summi eius Pastoris, Domini nostri Iesu Christi, confidimus sanctamque eius Matrem Mariam imploramus, ut patribus Cardinalibus in eligendo novo Summo Pontifice materna sua bonitate assistat. Quod ad me attinet, etiam in futuro vita orationi dedicata Sanctae Ecclesiae Dei toto ex corde servire velim.*

*Ex Aedibus Vaticanis, die 10 mensis februarii MMXIII*

## Allocutio eadem italica lingua expressa

Carissimi Fratelli,

vi ho convocati a questo Concistoro non solo per le tre canonizzazioni, ma anche per comunicarvi una decisione di grande importanza per la vita della Chiesa. Dopo aver ripetutamente esaminato la mia coscienza davanti a Dio, sono pervenuto alla certezza che le mie forze, per l'età avanzata, non sono più adatte per esercitare in modo adeguato il ministero petrino. Sono ben consapevole che questo ministero, per la sua essenza spirituale, deve essere compiuto non solo con le opere e con le parole, ma non meno soffrendo e pregando. Tuttavia, nel mondo di oggi, soggetto a rapidi mutamenti e agitato da questioni di grande rilevanza per la vita della fede, per governare la barca di san Pietro e annunciare il Vangelo, è necessario anche il vigore sia del corpo, sia dell'animo, vigore che, negli ultimi mesi, in me è diminuito in modo tale da dover riconoscere la mia incapacità di amministrare bene il ministero a me affidato. Per questo, ben consapevole della gravità di questo atto, con piena libertà, dichiaro di rinunciare al ministero di Vescovo di Roma, Successore di San Pietro, a me affidato per mano dei Cardinali il 19 aprile 2005, in modo che, dal 28 febbraio 2013, alle ore 20,00, la sede di Roma, la sede di San Pietro, sarà vacante e dovrà essere convocato, da coloro a cui compete, il Conclave per l'elezione del nuovo Sommo Pontefice. Carissimi Fratelli, vi ringrazio di vero cuore per tutto l'amore e il lavoro con cui avete portato con me il peso del mio ministero, e chiedo perdono per tutti i miei difetti. Ora, affidiamo la Santa Chiesa alla cura del suo Sommo Pastore, Nostro Signore Gesù Cristo, e imploriamo la sua santa Madre Maria, affinché assista con la sua bontà materna i Padri Cardinali nell'eleggere il nuovo Sommo Pontefice. Per quanto mi riguarda, anche in futuro, vorrò servire di tutto cuore, con una vita dedicata alla preghiera, la Santa Chiesa di Dio.

### Menda grammatica

***(...) ad hoc Consistorium vos convocavi (...) ut vobis decisionem magni momenti pro Ecclesiae vita **communicem**.***

*Quamquam temporum consecutio non tam accurate observabatur a veteribus, quam putant grammatici, tamen consuetudo postulat ut **communicarem** pro **communicem** sit potius dicendum.*

***Bene conscius sum hoc munus (...) non solum agendo et loquendo **exsequi debere**, sed non minus patiendo et orando.***

*Nonnulli obiecerunt intercidisse "me" inter "exsequi" et "debere", sed si versionem italicam consideramus (questo ministero... deve essere compiuto), patet non "me" intercidisse, sed verbum exsequendi, quod deponens est, forma passiva esse temere adhibitum. Ergo pro "exsequi debere" intellegatur "**exsequendum esse**", vel "**adimpleri debere**".*

**Quapropter (...) declaro me *ministerio* Episcopi Romae (...) mihi per manus Cardinalium die 19 aprilis MMV *commissum*, renuntiare, ita ut (...) Conclave ad eligendum novum Summum Pontificem (...) *convocandum esse*.**

Commissum non in casum accusativum sed in dativum est inclinandum, utpote quod coniunctum cum ministeriosit; ergo: declaro me *ministerio commissore*renuntiare. Tum scribendum est *convocandum sit*, ut grammatices in enuntiatis consecutivis jubet, non convocandum esse.

## **Variorum commentaria de grammatica**

*Inter linguae latinae cultores disputatum est cur tot menda grammatica in orationem Pontificis irrepsissent. Equidem eo magis obstipui, quod Illius facundiam admirari ante quinque sexve annos mihi datum est. Nam Benedictus XVI certaminis vaticani LI competitores excipiens, quae est Ejus benignitas, singulos latine rogavit, qua quisque chria in certamen descendisset quove praemio esset ornatus. Testis ergo auritus ego sum Pontificem latine volubilter loqui, ut qui bonam hanc consuetudinem non subsultim sed perpetuo retinuerit.*

*Qui autem factum est ut voluntatis suae declaratio mendose sit scripta?*

*Alii putant Benedictum XVI raptim atque animo valde perturbatum, ut par est, scripsisse, paulo ante quam alloqueretur cardinales, neque ideo de elegantia curasse, neque adiutorem arcessere voluisse.*

*Alii vero, textum italicum latino textui comparantes, non dubitant quin autographum a Pontifice initio lingua italica expressum sit, tum subito ac perfunctorie in latinum ab alio conversum, linguae haud omnino ignaro, sed, ut patet, ad scribendum vel loquendum insueto.*

*Sunt etiam qui, omnia ad imperii arcana occultasque nefariorum pactiones referentes, excogitarint quosdam cardinales declarationi clam atque consulto menda inseruisse, ut irritam facerent Papae voluntatem! At isti quidem -quorum numerus crescit quaquaversus in dies repletque retia informatica- scilicet ineptiunt.*

*Quibus ex prioribus adsentiendum? Vos pro cujusque captu videritis! Equidem inducor ut credam textum latinum non recta e calamo pontificis effluxisse, sed ab aliquo interprete, qui non ita callebat latinitatem, quemadmodum gravitas ac majestas sententiae postulare videbatur.*

*Cur ita sentiam fortasse quis requirit. Dicam me hoc ex genere dicendi coniectasse, de quo inferius refertur. Ceterum allocutio in universum sapit italicitatem grapheocratarum, qua magis magisque in annos scripta latina in Civitate Vaticana infici videntur.*

## **De genere scribendi**

*Quemadmodum in Tabellario Vespertino, quod die XII Febr. editum est, scriptum legimus, Lucianus Canfora, in atheneo Bariensi philologiae classicae praeceptor ordinarius, latinitatem Pontificis perpendens, fontes repetivit e quibus nonnullae juncturae singulares vel vocabula minus usitata manasse videbantur: oratio Papae -inquit enim- quasi opus musivum ex tessellis coalescit, quae sine temporum*

*discrimine undeunde elicita sunt.*

*Itaque in exemplum proponit ciceronianum “ingravescente aetate”, quo quidem jam Paulus VI usus erat, recentissimum et insolens “ultimis mensibus”, vegetianum “portare pondus”, origenianum “incapacitatem meam”, quintilianum vel plinianum “ministerio renuntiare”.*

*Notat etiam menda grammatica seu syntactica, quae eo aegrius esse ferenda putat, quod oratio pontificia ad memoriam posteritatemque sit necessario prodenda; sed indulget festinationi scribae vel perturbati animi motui. Idem denique en parergo adicit latinitate recentissima sermonum vernaculorum copiam novitatemque reddi ac referri.*

*Plerique nostrum Camphorae plauserunt, quod praeter collegarum opiniones vigere latinitatem nostra quoque aetate, quamvis oblique, significavit. Aloisius Miraglia autem obiecit in illius scripto omnia vitia deprehendi academicorum, quibus non est assidua consuetudo cum Romanorum sermone: delectantur enim ineptiis eruditae et grammaticae scire quam latine malunt!*

*Etenimvero, ut e thesauro latinitatis eliciamus “portare pondus”, non oportet Vegetium longius arcessere, quum jam exstet junctura haec apud Caesarem, Plinium, Scribonium, sensu proprio, atque apud Statium sensu tralato (pondere curarum, Theb., IV,42).*

*Neque est cur afferantur testes Rufinus Origenis interpres, propter incapacitatem, vel Quintilianus vel Plinius de renuntiando; etenim haec non sunt e penu latino depromptae, sed, haud secus atque aliae, sub exemplis italicis ad verbum redditae: incapacità > incapacitas, rinunciare > renuntiare, itemque decisio > decisio, comunicare > communicare, cetera.*

*Subicit Aloisius alia scitu digna, quae ad suffulcienda studia nostra potissimum conferunt: latinitatis inquam lumina nominat, quae saeculo XVI illustrarunt litteras et artes docendi, ut fuere Erasmus, Petrus Ramus, Paulus Niavis, Lodovicus Vives, cujus quidem aliquot locos decerpit, quibus causae corruptae latinitatis notantur.*

*Sed operae est pretium exscribere hanc Vivi sententiam, ab Aloisio propositam (De disciplinis libri XX, tomus I De causis corruptarum artium, liber secundus, De corrupta grammatica, Lugduni, apud Ioannem Frelonum, 1551, p. 78): “quum jam latina lingua prope tota interiisset viderentque plausibile et venerandum magnique ad opinionem ingentis eruditionis momenti, horrenda barbarie et soloecismis orationem conspurcare, unusquisque, ad exprimendum quod volebat, verbum de sermone vernaculo mutuabatur(...). Itaque malebant aliqui iuxta vetus dictum imperitius loqui, modo apertius; nata est hinc barbaries non una, sicut una erat Latina lingua, verum sua cuique nationi et genti: aliam ex suo vernaculo invexit Hispanus, aliam Italus, aliam Gallus, aliam Germanus, aliam Britannus, nec hi mutuo intelligebant.”*

*Utinam talia Lodovico Vivi monenti obtemperassent scriptores pontificii! Contra placuit eis vocabula seligere, quae quamvis forma simillima in utraque lingua, latine aliud significant atque italice.*

*Ceterum haud semel Reginaldum illum Foster, ciceronianum superstitem inter Vaticanos, jamdudum rude donatum, conquerentem audivi, quod scriptores in Officio Latino e principe, quem semper obtinuerant, loco detrusi essent atque adhibiti non ut veritatis testes, quales diu exstiterunt, sed ad ornatum tantum et pompam, quasi exoletae consuetudinis muta, inania simulacra.*

*Huc accedit quod acta Pontificum, quae sunt in sescentas linguas convertenda, ratione praepostera nunc rediguntur. Antiquitus enim, fere usque ad Paulum VI, Pontifex primam quandam adumbrationem adiutoribus tradebat, qui vicissim textus partes, sua quisque lingua usus, ampliabant, perficiebant.*

*Tum omnia Officio Latino tradebandur, cujus erat latine eodemque tenore ea reddere; deinde Pontifex scriptum emendabat, mutabat, probabat, ac scriptores jubebat autographum publicum elegantius componere aptisque instruere notis. Tunc denique textus latinus decretorius in alias linguas traducebatur.*

*Ineunte autem Joannis Pauli II regno, rationem tamdiu usitatam probatamque quidam cardinales, sive odio sermonis ipsius, sive quod nescirent latine, immutandam esse censuerunt. Itaque adumbratio, per adiutores Papae ampliata ac diversis expressa linguis, non jam Officio Latino, sed Interpretibus Italis tradi coepta est; isti quidem, audito Pontifice, textus vertunt, emendant ac denique stilo grapheocratico conformant.*

*Autographum italice scriptum demum traditur aliis Officiis, ut in linguas innumeras convertatur, sed interpretes latini ea lege tenentur, ut nihil fere immutent, sed servant quam maxime verborum numerum, vitent vocabula nimis a consuetudine Italarum abhorrentia, etsi aliud latine ac italice significant, abstineant se a verborum circuitibus, audacter pannis latinis vocabula peregrina convestiant. Eo ventum est, ut vocabulum industriae, qua latine opera, navitas, actuositas significatur, aqua et igni interdiceretur: ambigue enim sonare auriculis Italarum, quasi ageretur de industria machinali, de officinis, de quaestibus! O infinitum stultorum numerum...*

*Sic primum pedetemptim periit majestas illa pontificia, quae elucet e litteris encyclicis, quas dederunt Leo XIII in primis, omnium elegantissimus, Benedictus XV, Pius XII, Joannes XXIII, tum vero ipsa perspicuitas obumbrari coepta, demum in nostram posteritatisque intellegentiam cadere desierunt scripta latina, demum in grammaticam ipsam insultatum.*

*Ecquid plura? Sed redeamus oportet ad Benedicti XVI declarationem. Pauca in exemplum subiciam, e quibus eluceat praepostera interpretandi ratio, cujus superius mentionem habui.*

### **Non solum propter tres *canonizationes* (...)**

**Canonizatio, onis** est vox infimae latinitatis, sicut monet Antonius Bacci, cardinalium ciceronianissimus, sed brevis et apta; quum autem florerent studia latina in Ecclesia, elegantiores juncturae proponi solebant: consecratio, caelestes honores decreti, in sanctorum numero censere, fastis sanctorum adscribere, aliaque multa.

### **(...) vos convocavi (...) ut vobis *decisionem* magni momenti pro Ecclesiae vita *communicem***

**Decisio, onis** ad litteram est **deminutio**, sed apud Ciceronem decisionem facere est lites dirimere, controversiam componere, aliquid hinc inde demendo, seu decidendo. Pertinet ideo ad duas partes, quae consentiunt, non ad singulam, quae aliquid ipsa per se decernit. Tum decursu saeculorum vox servata est in praecipuis linguis, sensus mutatus. Itaque notio vocabulo italico “decisione” subiecta aliis exprimenda est verbis, latine si dicimus, veluti: consilium, propositum, voluntatem, destinatum, alia.

**Communicare** ex communi derivatum varia significare solet: commune facere, impertire, dispertire aliquid cum aliis, convenire cum aliis de aliqua re, aliquid cum aliis habere commune, colloqui etiam cum alio. Latius ergo patet ac significantius quam italicum comunicare, quod plerumque redditur “nuntiare”.

### **Ad cognitionem certam perveni**

Respondet italico **sono pervenuto alla certezza**: utrum, rogo, prius scriptum est? grapheocraticum italicum, in quo pervenire aliter sonat quam latine: hic enim usitatus, in ore Italorum putidum et arcessitum; dicimus enim sermone cotidiano “giunto”, non “pervenuto”... Cur non : exploratum, persuasum, pro certo habeo?

**Vigor (...) qui (...) in me modo tali minuitur, ut incapacitatem meam (...) agnoscere debeam.**

In **modo tali** grammatica certe observatur, usus non item; praeterea redolet juncturam italicam usitatissimam; nonne satis fuisset scribere ita, adeo?

**Incapacitas, atis** est verbum perrarum, quod e Rufino depromptum ait Camphora; re vera est imitatio italici “incapacità”. Nonne simplicius infirmitas? Ceterum capacitas proprie pertinet ad vasa, ad stomachum, traslate ad memoriam.

### **Declaro me ministerio (...) renuntiare**

**Renuntiare** plerumque significat declarare, nuntiare, referre; interdum, in sermone juridicali, irritum reddere vel nuntiare, de quo antea conventum est; inest jam sensus declarandi, ita ut declaro me renuntiare, pro simplici renuntio pleonasmus est; usitatus se abdicare munere.

Sed haec hactenus. Nolim enim is videri, qui Pontificis orationem emendare audeam et illud repeto “Mala grammatica non vitiat chartam”. Solum hoc aegre fero, quod ministri, quorum erat latinis verbis sententiam Benedicti XVI exprimere atque integram tradere Posteritati, muneri sibi concredito impares esse se ostenderunt.

### **Versio Valahdridi Stroh ad sermonem usitatiorem accommodata**

Ad hoc Consistorium vos, fratres carissimi, non solum propter tres consecrationes convocavi, sed etiam ut vobis consilium aliquod meum, quod Ecclesiae non parum interest, aperiam. Nam factis meis tacitisque cogitationibus coram Deo diligentissime perpensis intellexi et pro certo cognovi vires meas ingravescente aetate non iam aptas esse ad munus Petri recte administrandum.

Non equidem ignoro hoc munus, si spirituali sensu intellegas, tam in orando et patiando quam in agendo et loquendo positum esse. Attamen hoc nostro tempore, quo omnia rapidis motibus perturbari Christianorumque animi maximum in discrimen venire solent, ad navem Sancti Petri gubernandam et Evangelium praedicandum etiam vigor quidam corporis et animi necessarius est. Qui sane praeteritis mensibus in me tantopere defecit, ut me nunc quidem non iam satis idoneum, qui hoc officium expleam, confiteri cogar. Quapropter, quamvis pondus huius facti non ignorem, libere sponte mea declaro me ministerio Episcopi Romani,



*Successoris Sancti Petri mihi per manus Cardinalium die 19 Aprilis MMV commissio ita renunciare ut inde a die 28 februarii MMXIII, hora 20, sedes Romana, sedes Sancti Petri vacet et Conclave ad eligendum Summum Pontificem ab eis quorum id munus est convocandum sit.*

*E toto animo, fratres carissimi, gratias ago vobis quod tam amice tamque studiose onus ministerii mei mecum sustulistis veniamque peto pro omnibus quae erravi et peccavi. Nunc autem Sanctam Dei Ecclesiam curae Summi eius Pastoris, Domini nostri Iesu Christi permittimus sanctamque eius Matrem Mariam imploramus, ut patribus Cardinalibus in eligendo novo Summo Pontifice pro materna bonitate sua auxilium ferat. Mihi quidem etiam in futurum Sanctae Ecclesiae Dei piis precibus, quibus vitam dedicabo, toto ex animo servire propositum est.*

*Ex Aedibus Vaticanis, die 10 mensis februarii MMXIII*